

Partes sunt quatuor :

1. Coniugium Abrami & Hagar ancilla, vsque ad vers. 4.
2. Insolentia ancilla grauida, & fuga, vers. 4. 5. 6.
3. Apparitio & hortatio angeli ad reditum : & oraculum de Ismaele vsque ad vers. 17.
4. Obedientia Hagar, & partus.

## PRIMA PARS CAPITIS.

### Coniugium Abrami cum Hagar.

- 1 Porro Sarai vxor Abrami nondum pepererat ei. Habebat vero ancillam Aegyptiam, & nomen eius Hagar.
- 2 Et dixit Sarai ad Abram : Ecce nunc conclusit me Iehoua, ne parerem : Ingredere quaeso ad ancillam meam, forte liberos consequar Heb. ædificabor ex ea. Et obtemperauit Abram voci Saræ.
- 3 Accepit igitur Sarai vxor Abrami Hagar Aegyptiam ancillam suam, exactis decem annis, ex quo habitauerat Abram in terra Canaan : deditq; eam Abramo viro suo in vxorem.

### EXPLANATIO.

1. **P**OST QUAM SARAI VXOR ABRAMI. De coniugio Abrami cum Hagar Moses primum refert eius occasionem : deinde causas, & circumstantiam temporis : tandem coniugii initium modum. Occasio fuit sterilitas Sarai : **NONDUM PEPERERAT ABRAMO.** Sterilitas coniugum erat maledictionis species : non immerito igitur Sarai piam matronam vehementer anxiam habuit ; quæ non tam dolet, quod orba esset, quam quod augustissimæ promissionis de femine benedicto spes nulla, vestigium nullum appareret. Cogitat igitur per suam sterilitatem periclitari totius mundi salutem, nisi aliud quærat remedium. Vide infirmitatem fidei etiam in sanctissima matrona. Qui sunt igitur, qui opinione perfectionis superbiunt ? Miseri certe hypocritæ. **NONDUM,** ne quidem post initum & confirmatum fœdus fœcunditatis aut prolis spes apparebat. **HABEBAT ANCILLAM ÆGYPTIAM.** Erat ex ancillis acquisitis in Ægypto, de quibus cap. 12. v. 16. Erant Abramo serui, ancilla. Hebræi putant, honoris gratia à Pharaone fuisse

**A** Sarai donatam ; Ægyptia fuit natio ; religione Hebræa ; vt refert Philo. Hæc pars altera occasionis fuit ineundi consilii, quod putaret, ex ancilla iuencula Abramum suscipere posse prolem, quam pro sua haberet ; quoniam ancillæ & serui heris suis prolificabant ; vt exemplo Bilhæ & Zilpæ ancillarum, Gen. 30. & ex lege, Exod. 21. v. 2. constat.

**2. DIXIT ERGO SARAI AD ABRAM.** Nunc causæ coniugii tam inæqualis inter Abramum & ancillam exponuntur. Non rapuit, neque ambiuit amores ancillæ Patriarcha ; quod eum à libidinis culpa satis liberat ; sed consilio vxoris eam duxit. Causæ quatuor ordine videntur exponi.

**PRIMA.** Querela Sarai. **EN NUNC CONCLUSIT ME IEHOVA, NE PARIAM.** Metaphora à clauibus, quibus clauduntur, referantur fores ; sic Deus claudit, aperit naturam, dirigit vel inhihet causas naturales ad fœcunditatem ; quasi dicat, cum videas ex me sterili & vetula coniuge spem feminis nullam esse, ne irrita fiat promissio, alia videtur inuenienda prolis acquiræda via.

Fœcun-